

tiones, ex quibus oculi dictorum animalculorum sint compositi; ac quoque contemplabar ungulas; crines & ungues in iisdem tam distincte, veluti huiusmodi animalculum nude Microscopio oppositum fuisset. In uno quoque frustulorum Succini, frustulum straminis conspiciebam, in quo tubulos (ex quibus stramen constat) agnoscere quibam.

Quo modo hæc animalcula in Succinum pervenerint, & quo modo Succinum conficitur, mihi est ignotum, ac aliorum ratiocinationibus hac de re assentiri nequimus, quæ eadem nostris in oculis non admodum fide videntur dignæ, & nobis jam nulla occasio est in eam rem amplius inquirendi.

Idem ille Dominus inter alia narrat, famam ferri, in Courlandia e Cælo 14 aut 15 Martii 1686 frustum Chartæ deutæ in campum delapsum esse, quæ Charta tria quidem folia magna erat, cujus se frustulum habere dicebat, quod ille mediante Microscopio observaverat, sed se eadem de Charta nihil potuisse judicare. Et quoniam judicabat, me hanc imaginariam chartam videndi esse cupidum, ad me mediante Epistola frustulum illius transmisit, cujus circiter dimidium hinc est adjunctum.

Hanc imaginariam Chartam non per mediam horam in ædibus habueram meis, quin mediante Microscopio tantum lucis recepissim, ut, hanc Chartam fructum quendam esse, mihi imaginarer, qui ex aqua ortum traxisset suum. præterea confirmabam, hoc si verum esset, eundem ex aere in campos esse delapsum, constituebam, hanc materiam, primo ex aqua [mediante Nube, quem nos haustrum Aereum, belgice een Hoos, nominamus] in cælum sive aerem elevatam debere fuisse, sed multo citius credo, mediante vehementi imbre, sive liquefactione nivis [si regio ibidem sit montosa] aquam ex palude quadam sive fossis, hunc aut illum agrum inundasse, atque aquam nempe viridem hunc fructum, ex quo dicta hæc Charta constat, in gramineo quodam campo, aut in recenti frumento sive segete permanisse, sive locum obtinuisse suum, ac ibidem admodum rigide